

CONTRA PARTEM DONATI PSALMVS.

G & si nos non credimus, erit rixa sine fine. Amplectamur ergo pacem Christi, quid ad nos quod gestum est ante? Obicitis traditionem: respondemus vos fecisse. Clamatis vos de Macario: & nos de Circumcellione. Illud nostrum iam transactum, vestri non cessant vsque hodie. Habeat paleas area vestra, vos hoc solum vultis esse. Vos enim non vultis pacem: illi minantur de fuste. Et vti nam minarentur, & non puderet quotidie. Hos si expellunt isti, vestri non habent per quos regnare possunt. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Modum si excessit Macarius conscriptum in Christiana lege, Vel legem regis refererat, vt pugnaret pro vnitatem. Nam dico istum nihil peccasse, sed vestros peiores esse. Quis enim precepit illis, per Africam sic facere? Non Christus, non imperator hec probatur permisisse. Fustes & ignes priuatos, & insania sine lege. Quia scriptum est, Reconde gladium, scelus non putant in fuste. Non vt homo moriatur, sed vt conquassetur valde. Et postea moriatur, inde iam cruciatus languore. Sed tamen si miseretur occidunt, & vno fuste. Fustes Israelites vocant, quod dixerunt cum honore. Et plus vastent ipsum nomen quam corpus quod cadunt inde. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c.

H Nolite nobis iam fratres tempore Macarii imputare. Si crudeles erant illi, & nobis displicent valde. Si autem falsa de illis dicunt, deus potest iudicare. Nos amemus potestatem Christi, gaudeamus in vnitatem. Si qui mali sunt in Ecclesia, nihil nobis possunt nocere. Si non possunt nobiscum esse, excludantur salua pace. Si non potuerunt excludi, excludantur vel de corde. Dixit Ezechiel sanctus quosdam consignatos esse, Qui gemunt peccata fratrum, & non se separant inde. Si nos propter malos fratres, non separemur a matre. Quod tunc impij fecerunt, extra leuantes altare. Vt peiores nunc haberent, quam quod se fingunt fuisse. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Omnis qui scripturas legit, nouit quod volo aperire. Ioannes Baptista dixit tunc ad Iudeos aperte, Quod illos tanquam area suam Christus posset ventilare. Misit in messem operarios discipulos predicare: Per quos area collecta est, & ventilata de cruce. Tunc iusti tanquam frumentum Ecclesias impleuerunt caste, Vendentes que possidebant, & mundo dicentes vale. Illi tanquam semina erant, quod toto dispersum est orbe, Vt alia surgeret messis, que ventilanda est in fine. Hec crescit inter zizania, quia sunt haereses vbiq. Huius parte sunt iniusti, qui non sunt in vnitatem, Ex quibus si erat Macarius, nos quid vis rebaptizare? Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Pone in corde areas duas, vt possis quod dico in corde videre. Certe & priores habebant sanctos, sicut ostendunt scripturae.

3. Reg. 19 Na & septem milia virorum deus se dixit reliquisse.

Rom. 11. Et sacerdotes & reges, multi iusti sunt in lege. Ibi habes tantos prophetas, habes multos & de plebe. Dic mihi quis tunc iustorum separauit sibi altare? Multa scelera admittebat iniquus populus ille. Idolis sacrificatum est, occisi sunt Prophetae, Et nemo tamen iustorum recessit ab vnitatem. Iusti iniustos sufferebant, venturo ventilatore. Vno templo miscebantur, sed mixti non erant corde. Dicebant in illos tanta, & vnum habebant altare. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Quid vobis ad hec videtur, secunda messis Ecclesie, Que per totum orbem crescit, plura debet sustinere? Habet enim domini exemplum, & in Iuda traditore. Huc inter bonos ferebat, huc misit & predicare. Malus seruus predicabat, sed Christus erat in fide. Quia qui iudici credebant, non curabant de precone. Quando dedit sancta cenam, nec tunc illum excludit inde: Et posset per illum tradidi, etiam si inde exisset ante. Sed nobis exemplum

dati est, malos fratres tolerare. Vt quando non possunt sunt excludi, solo separetur corde. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Rogo respondete nobis, quid vultis rebaptizare? Lapidos sacerdotes vestros pelitis a communionem. Et nemo tamen post illos ausus est rebaptizare. Et quoscumque baptizarunt, vobis communicant hodie. Quid ab eis acceperunt, si non habebant quid dare? Legite quomodo adulteri puniantur in sancta lege. Non enim dicere possunt, quod peccarunt a timore. Si sancti soli baptizant, post istos rebaptizare. Quid calumniamini nobis, quia sumus in vnitatem? Qui non dum eramus nati in illa persecutione. Scriptum est, Peccata patrum ad filios non pertinere. Sed nemo dat fructum bonum, si precilius est de vite. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Scitis catholica quid sit, & quid sit praecilius a vite. Si qui sunt inter vos cauti, veniant, viuant in radice. Antequam nimis arescant, iam liberentur ab igne. Ideo non rebaptizamus, quod vnum signum est in fide. Non quia vos sanctos videmus, sed solam formam tenere. Quia ipsam formam habet sarmentum, quod praecilius est de vite. Sed quid illi prodest forma, si non viuunt de radice? Venite fratres, si vultis vt inseramini in vite. Dolor est cum vos videmus praeciliis a iacere. Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, Et in ordine illo patrum, quis cum successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Talis si quis adueniat, plenus catholica fide, Quales illos sanctos viros omnes solemus audire. Et si tibi dicat, frater, quid me vis rebaptizare? Quid sit ante factum nescio, nunc autem sum in Christi fide. Si me maculat quod nescio, tu qualis sis nunc ostende. Vultus tuos ecce attendo, ignoro quid sit in corde. Si me maculat quod nescio, tu me maculas fortasse. Et si credo esse sanctum, quibus communicas vide. Si maculat quod nescimus, iam non potes sanctus esse, Quem maculant tot peccata, quae committunt vestri occulte. Si autem quod nescis non curas, nec ego quod factum est ante. Et tamen Christianum tale audes rebaptizare. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Vae qui per cathedris vestris sic conteditis iniuste, Clamatis vos solos sanctos, aliquid dicitis in corde. Quia videtis & vos multos malos abundare vbiq. Nunquid dicere potestis, mixti sumus intra retes? Respondetur enim vobis, ia vos illud dirupisse. Neque dicere potestis, paleas vos sustinere. Iterum respondemus, hoc fecissetis & ante. Non enim peiores erant illo Iuda traditore. Cum quo Apostoli acceperunt primum sacramentum coenae. Cum tanti sceleris reum inter se iam scirent esse, Nectamen hos inquinabant sordes in alieno corde. Et tamen Christianos fratres audetis rebaptizare. Repetio. Omnes qui gaudetis, &c. Audite fratres quod dico, & mihi irasci nolite, Quia non sunt falsa quae auditis, potestis & considerare. Quid si ipsa nunc Ecclesia vos alloquatur cum pace, Et dicat, O filij mei quid querimini de matre? Quare me deseruistis, iam volo a vobis audire? Acculatis fratres vestros, & ego laceror valde. Quando me premebant gentes, multa tuli cum dolore. Multi me deseruerunt, sed fecerunt in timore. Vos vero nullus coegit sic contra me rebellare. Dicitis mecum vos esse, sed falsum videtis esse. Ego catholica dicor, & vos de Donati parte. Inuit me Apostolus pro regibus mundi orare: Vos inuidetis quod reges ia sunt in Christiana fide. Si filij estis, quid inuidetis, quia auditae sunt preces meae? Quando enim dona remiserunt, non iustis acceptare. Et obliuiscitis prophetas qui illud predixerunt ante. Et gentium reges magni missuri essent dona Ecclesie, Quae dona cum respulissetis, ostendistis vos non esse. Et Macarii coegit sua